DE FEBRE GASTRICA EPIDEMICA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XX. MENS. NOVEMBR. MDCCCXXXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST
AUCTOR

GEORGIUS NIEDRÉE
RHENANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
C. MICHAELIS, DR. MED. ET CHIR.
A. VEHSEMEYER, DR. MED. ET CHIR.
J. v. EHRENBERG, DD.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

NOBILISSIMO, GENEROSISSIMO

FRANC. DE LETTOW

**IN LEGIONE VELITUM QUINTA SUCCEN-
TURIONI**

DE SE SUISQUE MERITISSIMO

HAS

QUALESCUNQUE PAGELLAS

GRATISSIMA MENTE

OFFERT

AUCTOR.

Introductio.

Annuam constitutionem, quam dicunt, nullo non tempore singulares excitasse morbos, vel cum iis, qui forte grassabantur, specificam indolem communicasse, omnium saeculorum medici consentiunt. At vero constitutio illa, quum non semper esset eadem, aliam atque aliam morbis impressit notam praevalentem, qua causae cujusdam communis efficacia posset dignosci. Modo enim inflammatoria, modo gastrica, modo alia qualiscunque diathesis per totum morborum gregem dominabatur, et si individua singularium organismorum natura diathesi illi nimium adversabatur, saepe tamen causae accidentales levissimae efficere solebant, ut primitivus morbi character mirum in modum mutaretur, evidentiusque ad communem constitutionis annuae genium conformaretur. Universum macrocosmum superioribus annis haud exiguas mutationes esse expertum, morborum epidemicorum et endemicorum, hic illic grassatorum, indoles testari videtur: etenim non febres tantum intermittentes, peculiaribus sym-

ptomatibus bassim stipatae, longe frequentius, quam antea unquam, homines divexarunt, verum etiam insolitae quaedam affectiones, maxime gastricismum mentientes, at non raro malignum sortientes exitum, ubique fere occurrerunt. Ut taceam de peste illa exitiali, quae nunc quoque et propiores et longinquiores terrae plagas devastat, non possum, quin mentionem faciam nonnullarum affectionum, quae partim pestis illius antesignani, partim comites, partim pedissequi apparuerunt. Omnibus propemodum illud commune fuit, quod digestionis et assimilationis organorum alienationes praevalerent, ut dyspepsia, flatulentia, vomitio, diarrhoea, quae modo proprium absolvebant decursum, modo febri intermittente excipiebantur. Mihi etiam ante biennium oblata est opportunitas, morbum singularem gastricae indolis, ut videbatur, observandi, cujus symptomatologiam atque nosologiam breviter adumbrare conabor.

§. 1.

Quantae calamitates militum itinera facientium catervis saepe sint superandae, vix quenquam fugit; res facile explicatur: partim enim labores corpus fatigantes non omnes ab itinere possunt prohiberi, partim nec ea nutrimenta, nec domicilia semper suppetunt, quae justa satietate et quiete reficiant vires. Hinc evenire consuevit, ut morbi tam sporadici, quam epidemici, dummodo unum alterumve militum adgressi sint, facilius atque citius per majorem eorum numerum diffundantur, imo saepe ur-

bium et pagorum, quibus praesidio milites sunt, incolas male offendant. Accedit interdum inimicissima tempestas, superveniens itineribus, quae, vigente constitutione annua maligna, non modo epidemias jam exortas fovet, sed novas etiam excitat, earumve, quae imminent, introitum haud mediocriter accelerat.

§. 2.

Die undecimo mens. Januarii A. 1831 cum legione equestri, in qua etiamnum chirurgi militaris munere fungor, ob seditionem a Polonis conflatam, ad magnum ducatum Posnaniensem profectus sum. Iter bene cessit et militum valetudo, quamquam frigus hibernum intensius urgebat, in universum integra mansit; nulla saltem phaenomena in conspectum prodierunt, quae constitutionis insalubris suspicionem movere potuerint. Aestate citra ullas calamitates propemodum elapsa, ineunte mense Augusto ejusdem anni velites aliquot subito aegrotabant, quos alii atque alii sequebantur, ita ut morbus in dies nova caperet incrementa. Priusquam de morbi illius natura sententiam feram, symptomata communia atque specialia, quatenus mihi observata sunt, succincte describam.

§. 3.

Inter primitiva symptomata vertigo pertinet infestissima, quam omnes conquerebantur aegroti; a communi vertigine ita discrepabat, ut interposito aliquo tempore haud desineret, sed per totum morbi

decursum protraheretur, itaque temulentia magis capitis, ad insolitum evecta gradum, posset appellari. Hancce temulentiam visus hallucinationes comitabantur: oculorum obnubilatio, quandoque scintillatio, hebetudo, quales in febrilibus morbis gastricis persaepe animadvertuntur. Quod vitales functiones attinet, respiratio tarda, paulo anxia erat, pulsus parvus, frequens, molliusculus. Musculorum robur haud leviter infractum videbatur: artus enim, praesertim inferiores, non languore tantum, sed gravitate etiam atque rigiditate tenebantur. Facies, solito turgore destituta, pallorem obtulit, ipsa adeo labia et lingua albido colore fuerunt conspicua; cutis laxa, temperies ejus passim inaequabilis.

§. 4.

Quae cum ad variorum systematum aegrotationes possent referri, sequentia tamen symptomata gastricam morbi indolem extra omnem dubitationis aleam posuerunt. Ciborum appetentia penitus eversa, sapor alienatus, sitis adaucta, inprimis aceti desiderium, lingua, quam pallidam antea dixi, muco albido leviter oblita, nausea et vomituritiones crebrae. Ventriculi irritabilitas totum per morbum aucta exstitit, ita quidem, ut multa medicamina non sustinerentur; regio epigastrica, sensilitate insignis morbosa tactusque gravioris impatiens, plenitatis atque inflationis sensum aegris excitavit. Alvi excretiones nunquam non a norma recedebant: nunc liquidae, indolem mucosam, biliosam prae se feren-

tes, dejiciebantur; lotium mingebatur saturatum, turbidum.

§. 5.

Morbi decursus, quod ad moram pertinet, in genere satis certum temporis spatium emetiri solebat; si enim convalescentiae stadium cum reliquis complectaris, intra quatuor circiter hebdomades terminabatur; judicatio semper fere sudoribus copiosis, foetentibus, absolvebatur. Neque aetas, neque corporis constitutio, ab hocce morbo tueri videbantur; multi enim juvenum robustissimorum, qui integerrima semper valetudine gavisi erant, pariter atque infirmiores corripiebantur. Notatu dignissimum illud est, quod milites, communia tenentes domicilia, vel eodem tempore, vel brevibus deinceps interstitiis, aegrotabant, qui vero seorsim dispositi erant, aut incolumes evadebant, aut serius morbo implicabantur. Oppidorum et pagorum incolae, quibus initio morbus pepercit, aliquanto post non amplius tuti erant, verumtamen prius agrestes, quam urbani, opprimebantur.

§. 6.

Eadem in regione alii simul vigebant morbi, qui, quanquam genere et specie diversi, id commune habebant, quod characteris gastrico-biliosi criteria mirum in modum eminebant. Prae ceteris febres intermittentes singulari ratione recesserunt a norma: non solum enim vulgaribus medendi methodis multo pertinacius, quam alias solent, restiterunt,

sed etiam pyrexiae mirificas deviationes obtulerunt: aliarum scilicet paroxysmi vomitu atque diarrhoea, aliarum solo vomitu, aliarum animi deliquiis insigniebantur et absolvebantur, aliarum aliis symptomatibus insolitis. Velitum quidam, ineunte febris insultu, convulsionibus epilepticis petebatur, totum rigebat corpus, oculi late patebant, facies ingenti suffundebatur rubore; praeterea mentis defectio et kophosis adjiciebantur.

§. 7.

Morbi illius exitus eatenus faustus haberi poterat, quatenus neque militum, neque incolarum ullus, morti succubuit. Verumtamen restituta valetudinis specie, non omnis morbosa corporis dispositio exstincta esse videbatur, nam ineunte mense Septembri, quum supra descriptum aegritudinis genus finem esset consecutum, in ejus locum frequentiores successerunt febres intermittentes, rheumaticis complicatae affectionibus, plures eorum adgredientes militum, qui gastrico morbo ante dicto laboraverant. His febris intermittens gravior esse solebat, quam reliquis, nam vel nervosam obtinebat indolem, vel, quod frequentissime accidit, morbos excitabat hydropicos, praecipue hydropem anasarca, quibus factum est, ut nonnulli perimerentur. Summa igitur cum probabilitate suspicari licet, organismum, praegresso morbo debilitatum, novae aegrotationis impetum superare non potuisse.

§. 8.

Diagnosin morbi descripti ad liquidum posse perduci, vix crediderim, quum partim plurimi morbi revera gastricis complicationibus excellant, partim nonnulli larvati eas mentiantur. Symptomatum recensitorum major caterva omnino deduci potest a gastrosi, et quanquam febris exquisita non apparebat, pulsus tamen parvus et frequens, capitis temulentia, oculorum fulminationes, sitis intensa, statum quendam febrilem haud abfuisse testantur. Fortasse febris ista gastrica apte vocari posset biliosa, aut pituitosa, propter excrementorum indolem, nisi interdum faeces parcae ac durae secessissent. Quodsi synochus gastricus exstitisset, graviora haud dubie symptomata localia apparuissent, etenim morbosa ventriculi irritabilitas auctaque regionis epigastricae sensilitas, qualemcunque fere gastrosin comitantur. Nihilominus nervosi aliquid fuisse adjunctum, nemo inficiabitur, qui vertiginem infestam, virium labem, linguam albido muco leviter obtectam, aliaque symptomata bene intueatur.

§. 9.

Broussais, et qui eum sunt secuti, procul dubio gastro-enteritidem chronicam suspicati essent, eo magis, quod tunicae mucosae tubi cibarii irritatio perversaque secretio non posset negari. Existere chronicas inflammationes membranae ventriculi et intestinorum mucosae, variorumque morborum formas imitari, in aprico quidem est, at vox illa »gastro-enteritis« tam late solet extendi, ut

morborum indole diversissimorum, v. c. typhi, dysenteriae, febrium biliosarum, rel. notio confundatur. Non minus inepta videtur illa denominatio, si morborum originem respicis, modo enim sporadicis, modo epidemicis, tam miasmaticis, quam contagiosis, commune gastro-enteritidis nomen assignatur. Ceteroquin morbosa ventriculi irritatio, ex nervorum gastricorum intemperie pendens, citra inflammationem vigere, sed ejus symptomata ex parte aemulari potest, quam in morbo etiam a nobis descripto locum habuisse, existimamus.

§. 10.

Si cum febri intermittente morbum nostrum conferas, haud pauca invenies, quae utriusque analogiam quandam probent. Jam simplices enim atque normales febres intermittentes plus minusve gastricorum symptomatum offerunt, imo solis interdum remediis antigastricis, omisso corticis peruviani aliorumque febrifugorum usu, ad sanationem perducuntur. Multo magis autem anomalae, larvatae, comitatae, s. complicatae, a primitivo recedentes typo et forma, symptomatum insolitorum catervam sistunt. Quemadmodum larvatae effigiem apoplexiae, syncopes, soporis etc. promunt, ita gastricismum exquisitum, ad quem per naturam suam vergunt, eum in modum intendere queunt, ut reliqua symptomata paene opprimantur, aut secundaria saltem et accidentalia appareant. Meditandum tamen est, in larvatis intermittentibus, etiamsi signa febrilia diagnostica deficiant, typicas paroxysmorum acces-

siones atque decessiones non plane desiderari, quae nostro in morbo minime observabantur. Intermittentes comitatae utplurimum singulari malignitate insigniuntur, quippe quae secundo, tertio, quarto insultu saepe mortem inferant, et hac parte a morbo descripto longe distent. Sin febris intermittentis anomalae suspicionem dimittere nolis, imperfectam saltem vocare debebis, ita quidem, ut natura, febrem intermittentem excitare conata, incognitis quibusdam conditionibus impedita fuerit, quominus conamina bene exsequeretur. His enim fieri potuit, ut febris in primo evolutionis gradu, qui semper functionum gastricarum alienationibus manifestatur, subsisteret.

§. 11.

Quum eodem tempore, quo gastricus ille morbus milites tentabat, cholera epidemica in finitimis provinciis grassari coepisset, multis fortasse haud improbabile videbitur, teterrimam hancce pestem huc illuc suos sibi delegasse nuntios, per quos instantem perterritis hominibus adventum indiceret. Namque compertum habemus, et ante choleram epidemicam, et cum ea, non infrequenter exstitisse choleram, quam dicunt spuriam, s. cholerinam, quae num cholerae verae levior sit varietas, nec ne, inter medicos quidem disceptatur; plura tamen argumenta affirmant, quam negant, quod infra fusius exponam. Quanquam eo tempore, de quo hic agitur, nondum cholerinam talem fuisse concedo, qualis postea apparebat, et quanquam haec, uno superato insultu,

plerumque desinit, nullus tamen dubito, dispositionem in corpora jamjam irruisse, et oblatis causis occasionalibus passim specifica symptomata excitasse.

§. 12.

Ad constituendum nostri morbi nomen, tria potissimum respici oportet: symptomatologiam, originem, decursum. Symptomata, quod quidem e superioribus apparet, ea fuerunt, ut febrem, nisi ejus notionem nimis restringas, appellare posses, eo praeter alia considerato momento, quod judicatio per sudores contingere soleret. Ista autem febris, cujus gastricam naturam minime disputo, a communibus febrium gastricarum speciebus non solum discrepabat vertigine pertinacissima, sed etiam origine atque decursu; illa enim certissime causis epidemicis debebatur, hic certa temporis periodo limitabatur, nimirum quatuor circiter hebdomadibus, ut supra memoravi. Sicut multi morbi nomen obtinuerunt a symptomate quodam singulari, prae reliquis eminente, ita nostrum fortasse haud inepte dixeris *febrem gastricam vertiginosam*; nescio vero, numne praeferenda sit denominatio: *febris gastrica epidemica*, quippe quae causam simul specificam, cui plurimum ponderis tribuendum videtur, innuat. Quidquid demum est, morbi naturam propriis conditionibus adeo fuisse modificatam, ut anomaliae rarissimae nomen mereatur, persuasissimum habemus.

§. 13.

Priusquam morbi pathogeniam dilucidare conarer, de ejus prognosi atque curatione disserere, necessarium duxi, nam si ob dubiam alicujus morbi indolem nonnisi symptomaticam curationem instituere licet, e juvantibus et nocentibus saepe lucis aliquid redundat. De prognosi pauca tantum sunt monenda, quum morbum magis molestum ac fatigantem, quam periculosum fuisse, jamjam apposuerim. Hac igitur parte fausta sunt auguranda; at nihilominus verisimillimum est, perversam aut neglectam curationem, nec non infirmam sensilioremque corporis constitutionem, efficere posse, ut status irrepat nervosus, mortemque inferat. Hoc tanto facilius mihi persuasi, quanto magis virium imbecillitas, vertigo pertinacissima, visus hallucinationes, rel. morbi opportunitatem, complicationem nervosam adsciscendi, denotabant, et quanto certius per experientiam constat, febres gastricas, cum biliosis symptomatibus consociatas, saepissime malignam obtinere indolem. Jam asthenicus morbi character, qui indubitatis cognoscebatur criteriis, metum facere debebat, antequam decursus et exitus praedictionem in melius vertissent. Inimicissimum vero illud fuit, quod morbus, quanquam judicabatur, et pristinae valetudinis species instaurabatur, tamen reliquias quasdam organismo impertire videbatur, quae non solum diathesin morbosam alerent, verum etiam morborum postea subsecutorum decursum a solita norma averterent, exitumque eorum funestum redderent. Hoc enim modo explicari tan-

tum potest, cur milites, hoc morbo feliciter perfuncti, febrique intermittente aliquanto post correpti, aut in statum nervosum, aut in hydropem inciderint, eorumque nonnulli e medio sublati sint. Vides igitur, certum augurium multis in morbis, qui praesens periculum non minitentur, esse suspendendum, donec sequentia docuerint, organismum omnibus injuriis, quas antea impune sustinebat iterum ferendis parem evasisse.

§. 14.

Certae medendi indicationes decerni haud potuerunt, quoniam et morbi species quasi nova, et causae remotae parum cognitae erant. Proinde rationi consentaneum videbatur, curationem, quam initio praecipue exploratoriam esse oportebat, ita gubernare, ut cum symptomatibus praevalentibus, tum individuae singulorum aegrotorum constitutioni exactissime responderet. Aetate habituque militum consideratis, quorum illa junior, hic utplurimum vegetus et robustus fuit, gradus quidam debilitatis, quae spuria esse poterat, non impedire videbatur, quominus sanguinis detractiones experimenti causa instituerentur. Eventus desideriis satisfecit, etenim venaesectio plerisque aegrotorum egregium tulit auxilium, imprimis vertiginem infestissimam aliquantum sublevavit. Sanguinis copia non semper eadem, sed, prout rerum conditio exigeret, varia mittebatur. Sanguis corpori detractus anomalam exhibuit indolem: non solum enim atro-purpureus, maxime venosus, apparuit, sed etiam serum ejus

colorem multo magis flavescentem, quam statu normali, obtulit, tanquam opportunitas praevaleat ad decompositionem. Mitigatis venaesectione symptomatibus, primum antigastrica, virtutibus antiphlogisticis mitioribus imbuta, ut ammonium muriaticum, deinde roborantia leviora, ex usu esse consueverunt, et convalescentiam induxerunt. Nonnulli tamen aegrotorum exstiterunt, a quibus propter infirmiorem minusque succulentam corporis constitutionem, sanguinis detractiones alienae putarentur, ut propensio ad astheniam statumque nervosum restringeretur. His ante omnia emeticum ex Ipecacuanhae radice et Tartaro stibiato exhibebatur, quae non impune tantum, sed cum fructu etiam sustinebantur. Aliquoties tentata quoque sunt laxantia, frustra autem; quanquam enim manifesta incrementa morbo non attulerunt, de salutari tamen eorum efficacia dubitari oportebat, quum nullam fere symptomatum mutationem praestarent. Citra dubium laxantia eam ob causam morbi naturae repugnabant, quod evacuationes per anum, etiamsi modicae sint, multo promtius atque gravius infringunt vires, quam quae vomitoriis producuntur. Emeticis eatenus administratis, quatenus idoneum putabatur aegrotis, medicamina amara, roborantia, per aliquod tempus continuata, curationem absolvebant.

§. 15.

Diaetetica curatio, quae in omnibus morbis, praevalente gastrosi conspicuis, maximi momenti esse

solet, minime negligebatur. Primum enim id respiciebatur, ut aegrotantes aequabili fruerentur temperie et ab aëris inimicitiis, si qua tempestatis mutabilitas incideret, tuti essent. Ad sublevandam sitim ingentem, modicae portiones aceti, aqua temperati, offerebantur; etenim quum aegroti acidulorum cupidissimi essent, natura ipsa indigitare videbatur, quodnam potuum genus maxime corpori responderet. Per intervalla quoque infusum levius menthae piperitae propinabatur, et si aucta ventriculi sensilitas remedia ferri non patiebatur, vel diarrhoeam fovebat diuturniorem, mucilaginea, nominatim decoctum avenae excorticatae, sitientibus exhibebantur. Cibi requirebantur parciores, blandi, involventes; eupepti, initio leviter nutrientes, postea autem, ineunte convalescentia, magis roborantes, medicamentis consentanei. Regimen denique diaphoreticum imperari, necesse fuit, ut morbi judicationi per sudores subveniretur.

§. 16.

Quibus hactenus pertractatis, quid de morbi causa proxima, ac de remotis, mihi videatur, proponam, ita quidem, ut multa ratiociniis potius, quam certis axiomatibus niti, fatear. Plurimae febrium gastricarum eo excitantur, quod materiae alienae, ventriculum et intestina obruentes (saburrae), nervos partium dictarum offendunt, eorum intemperiem gignunt, demumque vasorum systema ad eum irritationis gradum evehunt, qui motuum fe-

brilium effigiem promit. Aliam vero nostri morbi rationem esse puto: quum enim diaetetica vitia, sordibus ventriculum onerantia, praecedere non solerent, sed plerumque sine causa manifesta affectiones irruerent, nihil obstat, quominus primitivam nervorum gastricorum offensionem exstitisse, quae reliqua symptomata deinceps concitaverit, opinemur. Quodsi nimirum plexus abdominales, inprimis solaris atque gastrici, stimulis morbificis petuntur, intemperies eorum exoriatur, necesse est, cujus proximus effectus in eo cernitur, ut organa functionibus suis (chymificationi et chylificationi) satisfacere nequeant, ergo partim ingesta, partim secreta abeant in saburras, novo incitamento morboso functionis alienationem sustinentes atque exaugentes. Febris, quae subsequitur, naturae medicatricis conamen denotat, noxia quaeque ex corpore eliminandi et aequilibrium restituendi, nam vis partium vitalis febri ita exaltatur, ut facilius perficiantur crises, quare omnes morbi febriles, s. pyretici, utplurimum crises promtas et manifestas (visibiles), apyretici autem tardas, occultas (insensibiles) proferunt. Quo magis febris est vascularis (synocha), eo certius exspectare licet judicationem perfectam, visibilem, dummodo caveantur metastases et metaschematismi, quum secretiones materiarum criticarum a vasis immediate pendeant. Noli autem opinari, unamquamque febrem, si vera sint, quae modo apposui, morbum frangere atque valetudinem instaurare debere: saepe enim incitamenta morbifica majora sunt,

quam quae validissima organismi contentione, febri scilicet, expelli queant; quibus in casibus accidit, ut vanis reactionibus atque laboribus paullatim exhauriatur facultas, diutius conamina salutaria exsequendi, febrisque in asthenicam, nervosam, typhosam, putridam, mutetur.

§. 17.

Ne vero diutius immoremur febri, protinus dispiciamus, num omnia symptomata, quae observavimus atque descripsimus, repeti possint e primitiva nervorum gastricorum intemperie hujusque effectibus. Si quis objiciat, multa apparuisse symptomata insolita, quasi specifica, respondendum est, causam, quae offensionem intulit, non fuisse communem, sed specificam, quod deinceps enucleare studebo. Permulta symptomatum, ut anorexia, nausea, sitis, sapor alienatus, lingua obducta, alvi vel obstructio, vel profluvium, urina, nihil habent, quod in febri gastrica cujuscunque generis mireris. Attentione autem digniores sunt: vertigo inimicissima ac pertinacissima, cum ingenti capitis temulentia, oculorum scintillatione, obnubilatione, hebetudine, quippe quae interdum quidem febrem gastricam, at non simplicem, comitentur. Naturam medicatricem morbo judicando non satis parem fuisse, e superioribus patet; homines enim diutius conflictari solebant, priusquam integritatem recuperarent. Pulsus parvus, frequens, molliusculus, exiguam systematis vasculosi energiam et reactionem nuntiabat, ergo

astheniam quandam, a praevalente systematis nervosi affectione pendentem; huc etiam adaucta ventriculi et totius epigastrii sensilitas spectat, quae ad proferendam doloris sensationem sufficit, et cum diminuta nervorum energia facile conciliatur, si erethismi indolem et causas respicis. Proinde nullam recipit dubitationem, quin status morbosus non mere quidem nervosus fuerit, attamen magnam opportunitatem, in eum transeundi, prae se tulerit. His quoque explicatur dispositio morbosa, haud dubie nervis assignanda, quae nonnullis sanatorum aliquanto post novos intulit morbos, exitum malignum plerumque sortientes. Nervorum gastricorum affectiones primitivas facile per consensum cum encephalo communicari atque functiones sensiferas a norma abalienare, neminem fugit, quum partim physiologicum, partim anatomicum commercium (per nervos vagos et sympathicum) inter cerebrum et tubum alimentarium locum habeat; consensualem affectionem non gradu quidem, sed indole, semper respondere primitivae, facili negotio intelliges, ergo per asthenicam morbi gastrici naturam encephali et sensuum functiones labefactari debuisse, persuasum habebis. Tametsi sensorii affectionem non substantivam, sed symptomaticam tantum censeri oportet, ratio tamen symptomatum suspicari nos jubet, morbum, si characterem exquisite nervosum obtinuisset, ad similitudinem typhi cerebralis quam proxime accessurum fuisse. Quae cum ita sint, facile dirimi posse judico, cur venaesectiones plurimis aegroto-

rum profuerint, inprimis ad demulcendam vertiginem. Sanguis enim per asthenicam morbi indolem non solum maxime venosus (quod ejus color et diminuta cohaesio probant), sed etiam circuitus solitae energiae expers (quod pulsus testatur parvus et molliusculus) erat, quare haud dubie congestiones passivae, venosae, ad encephalum, sicut in omnibus morbis ad typhum cerebralem opportunis, locum habebant. Itaque venaesectionibus partim encephalum congestionibus liberabatur, partim diminuta sanguinis mole, vis vitalis depressa aptior reddebatur, ad perficiendum ejus circuitum. Emetica, infusum menthae piperitae, deinde remedia amara, eam ob causam salutarem effectum praestare debebant, quod primum, inducta corporis percussione, venosas sanguinis congestiones dissipabant, deinde incitando nervorum vitam refocillabant et intemperiem corrigebant, denique eorum energiam et vasorum systematis tonum firmabant.

Cur laxantia nihil utilitatis attulerint, supra exposui.

§. 18.

Jam nihil restat, quam ut causae remotae hujus aegritudinis examinentur. Quum non sporadicus, sed epidemicus fuerit morbus, causae omnino cosmicae, i. e. vel telluricae, vel sidereae, quae dici solent, existimentur necesse est. Istae nimirum causae, quarum rationem et naturam dilucidare nondum licuit, aërem, totamque constitutionem annuam,

ita mutare videntur, ut non amplius incitamentum commune idemque salutare, sed etiam specificum, inimicum, in homines, certe in multos, exserant. Etiamsi veram aëri derogemus vitam, qualis est organismorum, tamen ejus mixtionem perpetuae vicissitudini esse obnoxiam, minime diffitebimur, dum eudiometri mutationes consideremus. Quodsi ergo certam aëris mixtionem esse normalem, corporibusque organicis absolute salutiferam, putamus, facile apparet, reliquas mixtiones, ab illa norma recedentes, plus minusve nociferas esse, varias autem existere modificationes atque gradus, varium proferentes effectum. Duplici autem modo epidemica aëris constitutio agit: primum omnia corpora, quae ejus imperio submittuntur, male afficit, atque dispositionem sistit, qua fieri potest, ut oblata occasione morbus specificus irruat; deinde, si qua dispositio in corpore jam exstat, praegressis parta injuriis, causam suppeditat occasionalem, quae in lucem evocat morbum. At vero constitutionis annuae, a norma gravius abalienatae, efficacia non humano corpore limitari, verum etiam cum fructibus horaeis communicari videtur, quippe qui ad vegetationem haud minus indigeant aëris incitamento, quam homines; alioquin enim explicari nequit, cur fruges, olera, poma etc. quibusdam annis, aut anni temporibus, corpori sint inimiciora, ideoque parcius et cautius assumenda. In his causa fortasse ponenda est, quod omnes nuperiorum annorum morbi, ab annua constitutione pendentes, gastrica indole insignive-

rint, siquidem nutrimentis vegetabilibus, insalubri atmosphaerae imperio maturatis, prae ceteris digestionis organa, singulatim nervi eorum, offendebantur. Talis aëris corruptela, quae morbos epidemicos excitat, miasma a nobis appellatur; miasmata, quod compertum habemus, non semper eandem aegritudinis formam gignunt, sed modo praevalentem morborum characterem constituunt, sive gastricus est, sive nervosus, sive putridus, sive inflammatorius. Hinc persuasum habeo, nostrum morbum, perinde ac alios, communi charactere gastrico insignes, qui vel eodem tempore, vel deinceps grassati sint, ut febres intermittentes, diarrhoeas, choleram atque cholerinam, ex uno fonte esse repetendum: ex aëris, ut ita dicam, aegrotantis miasmate, partim loco et regione, partim corporis constitutione, partim nutrimentis aliisque causis adventitiis modificato. Quodsi ea memineris, quae supra de febris notione ac dignitate proposui, choleram propterea formam teterrimam esse largieris, quod organismus injuriis miasmaticis adeo sit prostratus (depotenzirt), ut reactionem salutarem, i. e. febrim, concitare non valeat. Cholerae decursum minus rapidum, exitum igitur minus funestum fore existimo, si cum febri appareret; quae sententia eo probari videtur, quod partim febris intermittens, quae superveniebat, insultum cholericum aliquoties sustulit, partim febris aliqua, cholera finita viribusque paulo instauratis, exoritur. Num cholera aliique morbi, eodem miasmate inducti, ab homine ad hominem propagentur,

haud dirimam, ne partium studio trahi videar; hoc tamen adjiciam, miasmata conditionibus localibus tantam potentiam posse obtinere, ut singulares urbes, vel pagi, imo viae et domicilia, prae ceteris inquinentur, omnesque fere homines, in iis degentes, eodem afficiantur morbo, quanquam, unum per alterum aegrotasse, nunquam certum, saepe improbabile est. Ut denique recurram ad morbificam aëris indolem, mentionem facere placet cujusdam phaenomeni, quod multis mirum putatur: morbis miasmaticis plures per annos grassatis tandemque profligatis, saluberrima saepe succedit annua constitutio, morbis proferendis adeo contraria, ut paucissimi homines, iique accidentalibus tantum causis, aegrotent. Si comparationem instituere velis, haec fere ratiocinaberis: quemadmodum organismi, superatis morbis, non raro firmiores et validiores evadunt, quam antea fuerunt, ita miasmata quasi aëris menstrua esse videntur, quibus per tempus aliquod exantlatis, integrior, omnibusque organicis corporibus salubrior redditur.

VITA.

Natus sum, Georgius Niedrée, fidei catholicae addictus, in villa, quae dicitur Baltersbach, prope Saraepontum, A. MDCCCVI, parentibus optimis, patre Joanne Niedrée, praedii domino, matre e gente Binger, quos praematura morte mihi ereptos lugeo semperque lugebo. Primis litterarum elementis imbutus, Gymnasium Trevirense septem per annos frequentavi, quo relicto, A. MDCCCXXV Berolinum me contuli et civibus instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmi adscriptus, per quadriennium hisce interfui praelectionibus: De encyclopaedia scientiarum philosophicarum, de logice et psy-

chologia Cel. Wolff, de physice, chemia et pharmacia Cel. Turte, de pharmacia, de chemia experimentali, nec non theoretica, Illustr. Hermbstaedt, de botanice, toxicologia et historia naturali Illustr. Link, de plantarum officinalium historia Cel. Schulz, de Zoologia Illustr. Lichtenstein, disserentes audivi. Osteologiae, Splanchnologiae, Syndesmologiae, artis formulas medicas concinnandi, et anthropologiae forensis praecepta accepi ab Illustr. Knape; Idem et Illustr. Rudolphi cadaverum rite secandorum arte me imbuerunt. De materia medica praelectiones Illustr. Osann frequentavi; Illustr. Wagner de medicina forensi disserentem audivi. Illustr. Rudolphi me docuit encyclopaediam et methodologiam medicam, physiologiam, anatomiam corporis humani universam, organorum sensuum atque foetus humani, anatomiam comparatam atque historiam naturalem entozoorum. Cel. Eck de physiologia, Cel. Casper de arte

formulas medicas concinnandi et de morbis infantum exponentes audivi. Pathologia generali, semiotice atque therapia tam generali, quam speciali Illustr. Hufeland, pathologia speciali et doctrina morborum mentis atque syphiliticorum Illustr. Horn me erudiverunt. Perillustr. C. W. Hufeland diagnosin et therapiam morborum chronicorum nervosorum mihi illustravit. Celsi de medicina libros et Burserii institutiones Cel. Hecker mihi interpretatus, idem disputationes latinas de rebus medicis institutas moderatus est. In arte fascias applicandi, in chirurgia generali, in doctrina de ossibus fractis et luxatis, atque in arte obstetricia Illustr. Kluge praeceptore usus sum. In chirurgia tam generali quam speciali Illustr. Rust, in akiurgia Illustr. de Graefe, Illustr. Rust, et Illustr. Kluge duces mihi fuerunt. Ad ophthalmiatricen Cel. Jüngken me instituit, ad medicinam dentariam universam Cel. Hesse.

Clinicum ophthalmiatrico-chirurgicum moderante Illustr. de Graefe, clinicum chirurgicum duce Illustr. Rust, policlinicum ducibus Perillustr. C. W. Hufeland, Illustr. Osann et Cel. Busse, Clinicum medicum Illustr. Bartels, alterumque Illustr. Wolff ducibus, clinicum ophthalmiatricum, cui Cel. Jüngken praeest, frequentavi.

Quibus studiis peractis, medici inferioris munere in nosocomio caritatis Berolinensi per annum functus sum. Tum in Pomeraniam ad legionem equestrem, in qua etiamnum chirurgi militaris munere fungor, me conferre jussus sum. Jam vero tentaminibus, tam philosophico, quam medico, examineque rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine rite exantlatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Arthritis et Rheumatismus unum eundemque morbum sistunt.

II. Chininum sulphuricum rarissime adhibendum est.

III. Condyloma non est morbus secundarius.

IV. Sententia „post coenam stabis vel passus mille meabis" non vera.